

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones  
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

**Augustinus, Aurelius**

**[Reichenau ?], [14. Jh.]**

Sermo XLV

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)



magnam quaestionem fessis intulisti. sed erige uires nostras, ut possimus  
 intellegere quod dixisti; uenisti ut qui non uident uideant, recte quia lu  
 men es. recte quia dies es. recte quia de tenebris liberas. hoc omnis anima  
 accipit, omnis intellegit, quid est quod sequitur. & qui uident caecifiant.  
 ergo ne quia uenisti. caecifiant qui uidebant. Audi quid sequitur, & fortassis  
 intellegis; Commoti sunt ergo uerbis istis, quidam ex pharisaeis, & dixerunt ei.  
 Numquid & nos caecifimus. audi iam quid est quod mouebat, & qui uident  
 caecifiant; Dixit eis ih̄s; si caeci essetis, non haberetis peccatum; cum sit caecitas  
 ipsa peccatum, si caeci essetis. id est si uos caecos aduerteretis, si uos caecos dicere  
 tis, & ad medicum curretis; Si ergo ita caeci essetis, non haberetis peccatum,  
 quia ego ueni auferre peccatum; Nunc uero dicitis quia uidemus, peccatum  
 uestrum manet; quare, quia dicendo uidemus, medicum non quaeritis, in caeci  
 tate uestra remanetis; hoc est ergo quod paulo ante non intellexeramus, quod  
 ait; Ego ueni ut qui non uident uideant, quid est ut qui non uident uideant,  
 qui se non uideret confitentur, & medicum quaerunt ut uideant, & qui uident  
 caecifiant; quid est qui uident, caecifiant, qui se putant uideret, & medicum  
 non quaerunt, in sua caecitate permanant; Ergo istam discriminationem uocauit  
 iudicium, cum ait. in iudicium ueni in hunc mundum, quo discernat causa creden  
 tium, & confidentium a superbis se uideret putantibus, & ideo grauius ex caecitate,  
 tamquam dixerit ei peccator confitens & medicum quaerens, iudicame d̄s &  
 discerne causam meam degente non sc̄a. illorum scilicet qui dicunt uidemus,  
 & eorum peccatum manet; non autem illud iudicium iam intulit mundo, quo  
 de uiuis & mortuis in fine saeculi iudicabit, secundum hoc enim dixerat, ego non  
 iudico quemquam, quoniam prius uenit, non ut iudicet mundum, sed ut saluetur  
 mundus per ipsum; **EXPLICIT SERMO XLIII INCIPIT XLV AB EO**  
**QUOD SCRIPTUM EST. AMEN AMEN DICOUOBIS QUI NON**  
**INTRAT PER OSTIUM IN OUILE OUIUM SED ASCENDET ALI**  
**UNDE ILLE FUR EST ET LATRO. USQ. AD ID QUOD AIT. EGO**  
**UENI UT UITAM HABEANT ET ABUNDANTIUS HABEANT**

**D**e inluminato illo qui natus est caecus, sermo ad iudaeos d̄ni exortus ē.  
 huic itaq, lectioni hodiernam esse contextam, scire debuit & commo  
 neri caritas uestra; cum enim d̄ns dixisset. in iudicium enim ego in hunc  
 mundum ueni. ut qui non uident uideant, & qui uident caecifiant, quod eo  
 tempore quando lectum est ut potuimus exposuimus, quidam ex pharisaeis  
 dixerunt; numquid & nos caecifimus, quibus respondit; si caeci essetis, non ha  
 beretis peccatum; nunc autem dicitis quia uidemus, peccatum uestrum manet;  
 his uerbis subiunxit ea quae hodie cum recitarentur audiuiimus. Amen amen



dico uobis. qui non intrat per ostium in ouile ouium sed ascendit aliunde. ille fur est & latro; Dixerunt enim se caecos non esse. uideate autem tunc possent si oues xpi essent; unde sibi usurpabant lumen qui furebant contra diem. propter illorum ergo uanam & superbam & insanabilem adrogantiam dñs ihs ista contexit. in quibus nos salubriter si aduertamus admonuit; multi enim sunt qui secundum quandam uitae huius consuetudinem dicuntur boni homines. boni uiri. bonae faeminae. innocentes & quasi obseruantes ea quae in lege praecepta sunt. deferentes honorem parentibus suis. non moechantes. non homicidium perpetrantes. non furtum facientes. non falsum aduersus quemquam testimonium perhibentes. & cetera quae lege mandata sunt uelut obseruantes. xpiani non sunt. & plerumq; se iactant quomodo isti; Numquid & nos caeci sumus. Quia uero ista omnia qui faciunt & nesciunt ad quem finem referant. inaniter faciunt. Dñs de grege suo & de ostio quae intratur ad ouile. similitudinem proposuit in hodierna lectione; Dicunt ergo pagani. bene uiuimus; si per ostium non intrant. quid eis prodest unde gloriantur; Ad hoc enim debet unicuiq; prodesse bene uiuere. ut dicitur illi semper uiuere; Nam cuius datur semper uiuere. quid prodest bene uiuere. qui nec bene uiuere dicendi sunt qui finem bene uiuendi uel caecitate nesciunt. uel inflatione contemnunt; non est autem cuiquam spes uera & certa semper uiuendi. nisi agnoscat uitam quod est xps & per ianuam intrat in ouile; quaerunt ergo plerumq; tales homines & iam per suadete hominibus ut bene uiuant. & xpiani non sint; per aliam partem uolunt ascendere. rapere & occidere. non ut pastor conseruare atq; saluare; fuerunt ergo quidam philosophi de uirtutibus & uitiis subtilia multa tractantes. diuidentes. definientes. ratiocinationes acutissimas concludentes. libros implentes. suam sapientiam buccis crepantibus uentilantes. qui & iam dicere auderent hominibus; nos sequimini. sectam nostram tenete. si uultis beate uiuere; sed non intrant per ostium. perdesse uolebant. mactate & occidete; quid de istis dicam. ecce ipsi pharisaei legebant. & in eo quod legebant. xpm sonabant. uenturum sperabant. praesentem non agnoscebant; Iactabant se & iam ipsi inter uidentes. hoc est inter sapientes. & negabant xpm & non intrabant per ostium; Ergo & ipsi si quos forte seducerent. mactandos. & occidendos. non liberandos seducerent; & hos dimittamus; uideamus illos si forte ipsi intrant per ostium; qui ipsius xpi nomine gloriantur. innumerabiles enim sunt qui se uidentes non solum iactant. sed a xpo inluminatos uideri uolunt; sunt autem heretici. forte ipsi per ianuam intrauerunt; absit; sabellius dicit; qui filius est. ipse est pater; sed si filius non est pater. non intrat per ostium qui filium



dicit patrem; Arrius dicit; aliud est pater. aliud est filius; recte dicere.  
 si diceret alius. non aliud; quando enim dicit aliud. ei contradicit a quo audit.  
 ego & pater unum sumus; nec ipse ergo per ostium intrat; praedicat enim  
 xpm qualem sibi fingit. non qualem ueritas dicit; nomen habet. rem non ha-  
 bet; alicuius rei nomen est xps. tene ipsam rem si uis prodesse tibi nomen;  
 alius nescio unde sit. sicut foranus. xps homo est inquit. ds non est; nec ipse  
 intrat per ostium. quia xps & homo & ds est; & quid opus est multa per cur-  
 rere. & multa uana heresiū enumerare; hoc tenet. ouile xpi esse ecclesiam  
 catholicam; qui cumq; uult intrare ad ouile. per ostium intrat & xpm uerum  
 praedicat. non solum xpm uerum praedicat. sed xpi gloriam quaerat. non su-  
 am; nam multi querendo gloriam suam. oues xpi sparserunt potius quā  
 congregarunt; humilis est enim ianua xps dñs. qui intrat per hanc ianuam.  
 oportet humiliare se. ut sano capite possit intrare; qui autem se non humi-  
 liat. sed extollit. per macheriam uult ascendere; qui autem per macheriam  
 ascendit. ideo exaltatur. ut cadat; tecte tamen adhuc loquitur dñs ihs. non  
 dum intellegitur; nominat ostium. nominat ouile. nominat oues. Comen-  
 dat haec omnia. sed nondum exponit. legamus ergo quia uenturus est ad  
 ea uerba. in quibus nobis aliqua quae dixit dignetur exponere. ex quorū  
 expositione dabit nobis fortasse & iam illa quae non exposuit intellegere;  
 pascat enim manifestis. exercet obscuris; qui non intrat per ostium. in  
 ouile ouium sed ascendit aliunde. uae misero quia casurus est; sit ergo hu-  
 milis. per ostium intrat. plano pede ueniat. & non offendat; ille inquit fur  
 est & latro. oues suas uult dicere oues alienas. ad hoc suas. id est fur ta ablatas  
 non ut saluet. sed ut occidat; ergo fur est. quia quod alienum est. suum dicit.  
 latro. quia & quod est furatus occidit; qui autem intrat per ostium. pastor  
 est ouium. huic ostiarius aperit; De ostiario isto tunc quaeramus. quando  
 ab ipso dño audierimus quod sit ostium. & quis sit pastor; & oues uocem eius  
 audiunt. & proprias oues uocat nominatim; habet enim nomina earum  
 scripta in libro uitae; proprias oues uocat nominatim; hinc dicit apostolus.  
 nouit dñs qui sunt eius; & adducit eas. & cum proprias oues miserit ante eas  
 uadit. & oues illum sequuntur quia sciunt uocem eius; alienum autem non  
 sequuntur. sed fugient ab eo. quia non no uerunt uocem alienorum; tecta  
 sunt haec. plena quaestionibus. grauida sacramentis; sequamur ergo &  
 audiamus magistrum. ex his obscuris aliquid aperietur. & per id quod a-  
 pertit. nos forte intrare facientem; hoc prouerbum dixit illis ihs. illi autē  
 non cognouerunt quid loqueretur eis. forte nec nos; quid ergo inter est  
 inter illos & nos. antequam ista uerba agnoscamus & nos. quia nos pulsamus

uum incedit  
 esse. ueritas  
 nen qui  
 & insublen  
 aduertam  
 consuetudinem  
 & quasi obieru  
 uentibus suis  
 faciemet. non falsū  
 quae lege manda  
 aut quomodo sit  
 & refertur ad  
 de ostio qua  
 uocem. dicitur  
 ad est prodest. unde  
 uult. ut dicitur da tem  
 uult bene uocet. qua  
 di. uel caecitate refertur.  
 uam. post uer. & certa.  
 & per uerum intrat. in uo  
 ueritas. hinc uocem ut  
 in ostio. rapere  
 ueritas. ergo quodam  
 in. dicitur. dicitur  
 ueritas. suam. capi  
 ueritas. hinc uocem  
 & ad non intrat  
 & ad dicitur. ecce  
 ueritas. ueritas. spe  
 & inter ueritas.  
 per ostium. ergo  
 non liberandis. sed  
 intrat. per ostium  
 sunt. quae uocem  
 & sunt. uocem  
 & dicitur. quae  
 & ostium.



ut aperiatur nobis. illi autem xpm negando nolebant intrare seruandi.  
sed foras remanere perdendi, quod ergo nos audimus haec pie, quod an  
tequam illa intellegamus, credimus uera esse atq; diuina. magna ab istis di  
uersitate distamus; Cum enim duo audiunt uerba euangelii. unus im  
pius, alter pius, & talia sunt ut forte ambo non intellegant. Unus dicit ni  
hil dixit. alius dicit uerum dixit. & bonum est quod dixit, sed nos non intelle  
gimus. iste quia credit iam pulsatur, & dignus est cui aperiatur si pulsare  
persistat. ille uero adhuc audit. nisi credideritis. non intellegatis, quae  
ista commendo, qui & iam cum uerba haec obscura sicut possum exposu  
ero. aut quia ualde sunt abdita, uel ego eorum non adprehendero in  
tellegentiam, uel explicandi quod intellego non habuero facultatem, uel  
tam fuerit quisq; tardus ut & iam exponentem non sequatur, non dese  
desperet. maneat infide ambulat in uia, audiat apostolum dicentem.  
& si quid aliter sapitis, hoc quoq; uobis ds reuelauit uerum tamen in quod  
peruenimus, in eo ambulemus; incipiamus ergo audire exponentem, quae  
audiuimus proponentem; Dixit ergo eis iterum ih̄s; Amen amen dico uobis.  
quia ego sum ostium ouium; ecce ipsum ostium quod clausum posuerat, ape  
ruit; ipse est ostium. agnouimus, intremus, aut nos intrasse gaudeamus;  
omnes quot quot uenerunt, fures sunt & latrones, quid est hoc dñe. omnes  
quot quot uenerunt; quid enim tu non uenisti? sed intellege, omnes quot  
quot uenerunt dixi, utiq; praeter me; recolamus ergo ante aduentum ip  
sius uenerunt prophetae. numquid fures & latrones fuerunt? absit; non  
praeter illum uenerunt, quia cum illo uenerunt; uenturus praecones mit  
tebat, sed eorum corda quos miserat possidebat, uultis nosse quia cum illo ue  
nerunt, qui est, ipse semper, carnem quippe accepit ex tempore; quid est ergo  
semper. In principio erat uerbum; Cum illo ergo uenerunt, qui cum uerbodi  
uenerunt; Ego sum, <sup>inquit</sup> uia & ueritas & uita, si ipse est ueritas, cum illo uenerunt?  
qui ueraces fuerunt; quot quot ergo praeter illum, fures & latrones, id est  
ad furandum & occidendum. Sed non audierunt eos oues; maior haec quaestio  
est. non audierunt eos oues; ante aduentum dñi nostri ih̄u xpi quo humilis  
uenit in carne, praecesserunt iusti sic in eum credentes uenturum, quomo  
do nos credimus in eum qui uenit, tempora uariata sunt, non fides? quia &  
ipsa uerba pro tempore uariantur, cum uarie declinantur, alium sonum habet  
uenturus est. alium sonum habet uenit. Mutatus est sonus, uenturus est &  
uenit, eadem tamen fides utrosq; coniungit, & eos qui uenturum esse, & eos  
qui eum uenisse crediderunt, diuersis quidem temporibus, sed utrosq; per  
unum fidei ostium, hoc est per xpm uidemus ingressos; Nos credimus dñm



xpm ihm natum ex uirgine uenisse in carne. passum esse. resurrexisse.  
 in caelum ascendisse. totum hoc sicut uerba auditis praeterit temporis. im-  
 plum esse iam credimus; in eius sunt fidei societate nobiscum & illi patres. qui  
 crediderunt de uirgine nasciturum. passurum. resurrectorum. in caelos as-  
 censurum; illos enim ostendit apostolus ubi ait. habentes autem eundem spm  
 fidei sicut scriptum est. Credidi propter quod loquutus sum. & nos credimus  
 propter quod & loquimur; propheta dixit. credidi propter quod loquutus su.  
 apostolus dicit. & nos credimus propter quod & loquimur; ut scias autem  
 quod una sit fides. audi dicentem; habentes eundem spm fidei. & nos credim;  
 sic & alio loco; nolo enim uos ignorare frs. quia patres nostri omnes sub nube  
 fuerunt. & omnes per mare transierunt. & omnes in moyse baptizati sunt.  
 in nube. & in mari. & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt. &  
 omnes eundem potum spiritalem biberunt; mare rubrum significabat bap-  
 tismum. moyses ductor per mare rubrum significat xpm; populus transiens  
 significat fideles; mors aegyptiorum significat abolitionem peccatorum; In sig-  
 nis diuersis eadem fides; sic insignis diuersis. quomodo in uerbis diuersis. quia  
 uerba sonos mutant per tempora. & utiq; nihil sunt aliud uerba quam signa;  
 significando enim uerba sunt; tolle significationem uerbo. strepitus inanis  
 est; significata ergo sunt omnia; Numquid non eadem credebant per quos  
 haec signa ministrabantur. per quos eadem quae credimus. propheta pra-  
 nuntiabantur. utiq; credebant. sed illi uentura esse. nos autem uenisse. Ideo  
 & sicat. eundem potum spiritalem biberunt; s; spiritalem eundem. nam cor-  
 poralem non eundem; quid enim illi bibebant. bibebant enim de spiritali se-  
 quenti p&ra. p&ra autem erat xps; uid&e ergo fidei anen<sup>te</sup> signa uariata; ibi  
 p&ra xps. nobis xps quod in altari di pontatur; & illi pro magno sacramento  
 eiusdem xpi biberunt aquam profluentem de p&ra. nos quid bibamus norunt  
 fideles; si speciem uisibilem intendas. aliud est. si intellegibilem significatione.  
 eundem potum spiritalem biberunt. Quot quot autem illo tempore credide-  
 runt. uel abraham. uel isaac. uel iacob. uel moyse. uel aliis patriarchis. aliisq; pro-  
 ph&is xpm praenuntiantibus. oues erant. & xpm audierunt. Non alienam uoce.  
 sed ipsius audierunt; Iudex fuerat in praecone. quia & quando iudex loquitur  
 per praecone. exceptor non facit. praeco dixit. sed iudex dixit; alii sunt ergo  
 quos non audierunt oues. in quibus non erat uox xpi. errantes. falsa dicentes.  
 inania garrientes. uana fingentes. miseros seducentes; quid est ergo quod dixi.  
 maior haec quaestio est. quid hab& obscurum. & ad intellegendum difficile.  
 Audite obsecro; ecce dñs ipse ih̄s xps uenit. praedicauit. utiq; multo magis uox  
 pastoris erat expressa ipso ore pastoris; si enim per proph&as uox pastoris erat.



quantomagis uocem pastoris proferebat lingua ipsa pastoris. non omnes <sup>nam</sup> hanc  
audierunt; sed quid putamus, qui audierunt. oues erant. Ecce audiuit iudas.  
& lupus erat. sequebatur. sed pelle ouina tectus pastoris insidiabatur. Aliq  
uero eorum qui xpm crucifixerunt non audiebant, & oues erant, ipse  
enim uidebat in turba quando dicebat; Cum exaltaueritis filium hominis.  
tunc agnosceatis quia ego sum; quomodo enim ista soluitur quaestio; audi  
unt non oues, & non audiunt oues, <sup>quia sol</sup> sequuntur uocem pastoris quidam lu  
pi, & ei quaedam contradicunt oues. postremo pastorem occidunt oues.  
Sic soluitur quaestio; responde enim aliquis & dicit; sed quando non audi  
ebant, oues nondum erant, tunc lupi erant, uox audita eos mutauit, &  
ex lupis oues fecit; quando ergo factae sunt oues, audierunt & pastorem  
in uenerunt, pastoremq; sequitae sunt, & pastoris promissa speraue  
runt, quia iussa fecerunt; soluta est ut cumq; ista quaestio, & cuiquam for  
te sufficiat; me autem adhuc mouet, & quid me moueat communico uo  
biscum, ut quodammodo quaerens uobiscum, reuelante illo uobiscum  
merear inuenire; quid ergo me moueat accipite; per ezechielem pro  
ph&am dñs obiurgat pastores & dicit inter cetera de ouibus; errantem  
non reuocastis; & errantem dicit, & ouem appellat, s; quando errabat, qm  
ouis erat, cuius uocem ut erraret audiebat. proculdubio enim non erraret,  
si uocem pastoris audiret. sed ideo errauit, quia uocem audiuit alieni, uo  
cem furis & latronis audiuit. Certe latronum uocem non audiunt oues,  
qui uenerunt inquit & intellegimus praeter me, id est qui uenerunt pre  
ter me, fures sunt & latrones, & non audierunt eos oues; Dñe si non audi  
erunt eos oues, quomodo errant oues, si oues non audiunt nisi te; tu aut  
ueritas es, quisquis ueritatem audit, non utiq; errat; illi autem errant, &  
oues appellantur; nam si in errore ipso oues non appellarentur, non  
diceretur per ezechielem, errantem ouem non reuocastis; quomodo  
& errat, & ouis est, uocem alieni audiuit; certe non audierunt eos oues;  
Deinde modo multi colliguntur ad ouile xpi, & ex hereticis fiunt catholi  
ci, a furibus tolluntur, pastori redduntur, & aliquando murmurant,  
tedium patiuntur ad reuocantem, & non intellegunt iugulantem; ue  
rum tamen & iam cum reuocantes uenerint quae oues sunt, agnoscunt  
uocem pastoris, & se uenisse laetantur, & errasse erubescunt; quando er  
go in illo errore tamquam in ueritate gloriabantur, & utiq; non audiebant  
uocem pastoris, & alienum ideo sequebantur, oues erant an non erant.  
Si oues erant, quomodo alienos oues non audiunt. Si oues non erant, quare  
obiurgantur illi quibus dicitur, errantem ouem non reuocastis, in ipsis



iam iam factis catholicis xpianis, bonae spei fidelibus, aliquando mala contan-  
 gunt. seducuntur in errorem, & post errorem reuocantur; quando seducti  
 sunt in errorem, & rebaptizati sunt. aut post ouis dominici societatem rursus  
 in errorem pristinum reuoluti sunt. Oues erant, an non erant; utiq; catholici  
 erant; si catholici fideles erant. Oues erant; si oues erant, quomodo uocem  
 alieni audire potuerunt! Cum dñs dicat. non audierunt eos oues; Audistis fr̄  
 altitudinem quaestionis; Dico ergo; nouit dñs quis sunt eius! Nouit praescitos,  
 nouit praedestinos. De illo quippe dicitur. Quos autem praesciuit, & prae-  
 destinauit conformes fieri imaginis filii sui. ut sit ipse primogenitus in mul-  
 tis fratribus; quos autem praedestinauit. ipsos & uocauit. & quos uocauit  
 ipsos & iustificauit. quos autem iustificauit. ipsos & glorificauit; si dñs pro  
 nobis quis contra nos. adde adhuc. qui proprio filio suo non peperit. sed  
 pro nobis omnibus tradidit eum. quomodo non & cum illo omnia nobis do-  
 nauit. sed quibus nobis praescitis. praedestinis. iustificatis. glorificatis. —  
 De quibus sequitur. quis accusabit aduersus electos dñi. Nouit ergo dñs qui  
 sunt eius. ipse sunt oues. aliquando se ipsae nesciunt. sed pastor nouit eas.  
 Secundum istam praedestinationem. secundum istam dñi praescientiam.  
 secundum electionem ouium ante constitutionem mundi. Nam & hoc dicit  
 apostolus. sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi. Secundum  
 istam ergo praescientiam dñi & praedestinationem quam multae oues foris.  
 quam multi lupi intus. & quam multae oues intus. & multi lupi foris; quid est  
 quod dixi. quam multae oues foris. quam multi modo luxuriantur casti  
 futuri. quam multi blasphemant xpm credituri in xpm. quam multi se  
 inebriant futuri sobrii. quam multi rapiunt res alienas donaturi suas;  
 Uerum tamen modo alienam uocem audiunt. alienos sequuntur. Item quā  
 multi intus laudant blasphematuri. casti sunt fornicaturi. sobrii sunt. sed  
 uino postea sepulturi. stant casuri. non sunt oues; De praedestinis enī  
 loquimur. de his loquimur quos nouit dñs quis sunt eius. & tamen ipsi quā  
 diu recte sapiunt. xpi uocem audiunt; Ecce audiunt ipsi. non audiunt illi.  
 & tamen secundum praedestinationem. non oues isti. oues illi; Adhuc ma-  
 nae quaestio. quae mihi interim nunc uidetur ita posse dissolui; est aliqua  
 uox. est inquam uox aliqua pastoris. in qua oues non audiunt alienos. in qua  
 non oues non audiunt xpm; quae est ista uox. qui perseverauerit usq; in  
 finem. hic saluus erit; hanc uocem non neglegit proprius. non audit alie-  
 nus; nam & ille hoc ei praedicat. ut perseueret apud ipsum usq; in finem.  
 sed non apud eum perseuerando non audit hanc uocem; Uenit ad xpm. au-  
 diunt alia & alia uerba. illa & illa. omnia uera. sana omnia. inter quae omnia



est & illa uox. qui perseuerat<sup>raue</sup> usq. in finem, hic saluus erit. istam qui audierit  
 ouis est; sed audiebat illā nescio quis, & desipuit, refrigerat. audiuit alienam;  
 si praedestinatus est, ad tempus errauit, in aeternum non perit. redit ut audiat  
 quod neglexit, faciat quod audiuit; si enim de his est qui praedestinati sunt, &  
 errorem ipsius dī praesciuit, & conuersionem futuram; si ab errauit, redit ut  
 audiat uocem illam pastoris, & sequatur dicentem, qui perseuerauerit usq. in  
 finem hic saluus erit; Bona uox fr̄s. uera, pastoralis, ipsa est uox salutis in taber-  
 naculis iustorum; nam facile est audire xpm̄, facile est laudare euangelium,  
 facile est adclamari disputatori, perseuerare usq. in finem hoc est ouium  
 uocem pastoris audientium; temptatio accidit, perseuera usq. in finem, usq.  
 in quem finem perseuerabis, quo usq. finias uia, quam diu enim non audis xpm̄,  
 aduersarius tuus est in ista uia, hoc est in ista mortali uita; sed quid dicit,  
 Concorda cum aduersario tuo cito dum es cum eo in uia! Audisti, credidisti,  
 concordasti, si aduersabaris, concordā, si tibi praestitum est concordare, noli  
 ulterius litigare; quando enim finitur uia nescis, sed tamen scit ille, si ouis  
 es, & si perseueraueris usq. in finem, saluus eris. Ac per hoc istam uocem non  
 contemnunt sui, non audiunt alieni; ut potui, ut ipse donauit, profundam  
 multam quaestionem aut exposui uobis, aut tractaui uobiscum; si qui minus  
 intellexerunt, maneat p̄ct̄is, & reuelabitur ueritas; qui autem intellexerūt,  
 non se extollant quasi celeriores super tardiores, ne extollendo se exorbitent,  
 & facilius perueniant tardiores; omnes autem perducatur cui dicimus, Deduc  
 me dñe in uia tua, & ambulabo in ueritate tua; per hoc ergo quod exposuit  
 dñs, quia ipse est ostium, inquit ad ea quae proposuit, nec exposuit, &  
 pastor quidem quisnam sit, quamuis nondixerit in ista lectione quae  
 hodie recitata est. Tamen in ea quae sequitur, aperissime dicit, ego sum  
 pastor bonus; quod & si nondiceret, quem alium praeter ipsum intellegere  
 deberemus, in eis uerbis ubi ait, Qui intrat per ostium, pastor est ouium,  
 huic ostium aperit, & oues uocem eius audiunt, & proprias oues uocat  
 nominatim, & educat eas, & cum proprias oues emisserit, ante eas uadit, & oues  
 eum sequuntur, quia sciunt uocem eius; quis enim alius oues proprias uocat  
 nominatim, & educit eas hinc ad uitam aeternam, nisi qui nouit nomina  
 praedestinatorum, unde ait discipulis suis, Gaudete quoniam nomina uestra  
 scripta sunt in caelo; hinc enim eas uocat nominatim, & quis alius eas emit,  
 nisi qui earum peccata dimittit, & eum sequi duris liberate uinculis possint;  
 & quis eas praecessit, quo eum sequantur; nisi qui surgens a mortuis iam non  
 moritur, & mors ei ultra non dominabitur, & cum hic esset & in carne conspicu-  
 us, ait Pater quos dedisti mihi, uolo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum; Unde



illud quod ait. Ego sum ostium, per me si quis introierit saluabitur, & ingre-  
 dietur, & egredietur, & pascua inueniet. In hoc euidenter ostendit non solum  
 pastorem, sed & iam oues intrare per ostium; sed quid est ingredi & egre-  
 dietur & pascua inueniet. Ingressus quippe in ecclesiam per ostium xpm, ualde  
 bonum est. exire autem de ecclesia, sicut ait iste ipse iohannes euangelista in  
 epistola sua. ex nobis exierunt sed non erant ex nobis. non est utiq. bonum;  
 Talis ergo egressus non possit ab uno pastore laudari, ut dicitur. & ingredi-  
 & egredietur, & pascua inueniet; est ergo aliquis non solum ingressus, uerum  
 & iam egressus bonus per ostium bonum quod est xps; sed quis est iste lauda-  
 bilis & beatus egressus. possem quidem dicere ingredi nos quando interius ali-  
 quid cogitamus. egredi autem quando exterius aliquid operamur. & qm si  
 cut dicit apostolus. per fidem habitat xps in cordibus nostris. ingredi per  
 xpm esse, secundum ipsam fidem cogitare. egredi autem per xpm, secundum  
 ipsam fidem & iam foris id est coram hominibus operari; unde & in psalmo le-  
 gitur. exiit homo ad opus suum, & ipse dñs dicit, luceant opera uestra coram  
 hominibus; sed plus me delectat quod ipsa ueritas tamquam pastor bonus.  
 & ideo doctor bonus, quodammodo nos admonuit quem admodum intellege-  
 re debeamus quod ait. ingredi & egredietur & pascua inueniet, cum secu-  
 tus adiunxit, fur non uenit nisi ut fur & mactet & perdat. Ego ueni ut uitam  
 habeant & abundantius habeant; uidetur enim mihi dixisse, ut uitam habeant  
 ingredienti, & abundantius habeant egredientes; Non autem potest quisq.  
 per ostium id est per xpm egredi ad aeternam uitam quae erit in specie, nisi  
 per ipsum ostium, hoc est per eundem xpm in ecclesiam eius quod est ouile  
 eius, intrauerit ad uitam temporalem quae est in fide; ideo ait. ego ueni ut uitam  
 habeant. hoc est fidem quae per dilectionem operatur, per quam fidem in oue  
 le ingrediuntur ut uiuant, quia iustus ex fide uiuit, & abundantius habeant,  
 qui perseverando usq. in finem, per illud ostium, id est per fidem xpi egredi-  
 untur, qm uiri fideles moriuntur, & abundantius habebunt uitam uenien-  
 do quo pastor ille praecessit, ubi numquam deinde moriantur; Quamuis  
 ergo & hic in ipso ouili non desunt pascua, qm ad utrumq. possumus intel-  
 legere quod dictum est, & pascua inueniet; id est & ad ingressum & egres-  
 sum, tamen tunc uere pascua inuenient ubi saturentur qui esuriunt & siti-  
 unt iustitiam; Quia pascua inuenit cui dictum est, hodie mecum eris in  
 paradiso; Quomodo autem ipse sit ostium, ipse pastor, ut per se ipsum quo-  
 dammodo & iam ipse ingredi & egredi intellegatur, & quis nam sit ostiari-  
 us, longum est hodie quaerere, & differendo sicut ipse donauerit explicare;  
**EXPLICIT SERMO XLV INCIPIT XLVI XBCO QUOD DICTUM E**